



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 36. Ejusdem Myst. punct. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XXXVI.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum.

Myft. punct. 2.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. In Dei, & Sanctorum præsentia nos collocare.

PRÆL. II. Gratiam petere totos nos impendendi in amorem Dei, qui nos tantum amavit.

PUNCTUM I. DONA NATURALIA. MEM. Aspiciamus Deum in singulis existentem Creaturis, *Cælum, & Terram ego impleo, dicit Dominus. Jerem. 23.*

INTEL. Ratiocinemur illum non otiosè existere in singulis: *sed implet omne animal benedictione. Ps. 144. Et singulis distribuit sua dona. Elementis quidem... ut sint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant; Animalibus insuper, ut sentiant; Hominibus postremo, ut simul etiam intelligant.* REFL. Cum igitur Deus in nobis congregaverit quodammodo omnia ista dona naturalia, ita ut nihil in me sit, quod an ipso non acceperim, neque adeò quidquam, quod à me sit, ipse dare possim: cogitabo quid agere debeam, ut respondeam tanto amori.

VOL. O Deus! quia dare non possum, quod tuum non sit: *id totum tibi restituo, & tua prorsus voluntati trado gubernandum, &c.*

PUNCTUM II. DONA SUPERNATURALIA. MEM. *Meque Templum quoddam suum efficere voluit.*

IN-

INTEL. *Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3. REFL. *Applicemus nobis, quod ibidem subjungit Apostolus: Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.*

VOL. *Suscipe Domine, &c.* neque jam ex timore poenæ, o Deus! sed ut respondeam tanto amori, quem tot donis naturalibus, & supernaturalibus mihi communicatis demonstrasti conabor Templum illud, omni virtutum genere ornare.

PUNCTUM III IMAGO DEI, MEM. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* Gen. 1.

INTEL. Hæc imago, sive similitudo complectitur in se tum naturalia, tum supernaturalia dona, quibus Dei similes efficimur: de quo videri posset *Explicatio hic litt. F.* cumque amor consistat in mutuâ facultatum, rerum & operum communicatione, ex quâ hæc similitudo oritur, concludere possumus, quantus sit amor Dei in nos. REFL. *Cogitemus quæ sint nostræ partes in redamando.*

VOL. *Suscipe Domine, &c.* in super memor ero istius, de quo monemur Eccl. 17. *Secundum imaginem suam fecit illum ... ut magnalia enarret operum ejus, & conabor majorem gloriam tuam ubique promovere.*

COLLOQ. *Quibus petamus: Amorem tui solum cum gratiâ tua mihi dones, & dives sum satis, &c.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDI-